



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

IV. An Tritheismus sit Luthero-caluinistarum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

QVÆSTIO IV.

An Tritheismus sit Lutherocaluini-
starum?

VIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERVS lib. contra Latomum 10. 2. *Ani-
ma mea odit quosdam.* Melanch. Tres sunt Diui-
nitates, vt tres persona. &c.

CALVINVS in Actis Serneti. *Filius habet sub-
stantiam à Patre distinctam.* &c. Vide meum Lu-
thero-cal. q. 11.

CHRISTVS. At Ioan. 5. *ALIVS*
est, qui testimonium perhibet de Me. Et
Ioan. 14. *ALIVM* Paraclerum dabit vobis.
At de vna eademque persona non di-
citur *Alius*. Notat ita S. Fulgentius l. de
obiectionibus Arianorum; Patrem, Fili-
um, Sp. Sanctum dici *Alium*, non *Aliud*.
Siquidem *Aliud* distinctionem in Es-
sentia; *Alius*, distinctionem in Persona
significat. Vnde ait Ioan. 10. *Ego & Pa-
ter Vnum sumus*; non *Vnus*, aut *Aliud*.

2. Mar. vlt. *Baptizate omnes in nomine
Patris & Filij & Sp. Sancti.* particula, ET,
distinctionem personalem ac realem
denotat.

3. Ita Eph. 2. *Per ipsum habemus accessum
ad Patrem in vno Spiritu.* Quod distin-
ctionem Personæ, non Essentiæ docet.
Nam de Vnitate Essentiæ supra sat vi-
dimus.

4. Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam
in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere
in semetipso.* Non quomodo alia anima-
ta creata vitam habent: sed quomodo
Pater ipse habet. Vnde dicitur, Col. 1.
Primogenitus Dei & imago eius. Quod in-
telligi de Diuina æternaque generatio-

ne. patet ibidem isto: *In ipso, & per ipsum
condita sūt vniversa.* Manet igitur, quod
in Deo sit Vnita Distinctio, & Distincta
Vnitas: non trium Vnitas; sed Vnius
Trinitas. Plura vide in meo *Luthero-
calu. p. 1. q. 8. & 10.*

QVÆSTIO V.

Sitne in Diuinis Personarum Ae-
qualitas?

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERI. *Anima mea odit quosdam.* Idem in
Gen. 1. *Verbum est Instrumentum Patris in ope-
rando.* &c.

CALVINI. *Filius etiam in diuina Natura, offi-
cij ratione, Patre minor est.* Sic vtrobique cæteri.
Vide in meo *Luthero-caluinista quest. 9. & 12.*

CHRISTVS. I. At Angelus ad
Zachariam de Ioan. Baptista, Luc. 1.
*Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum
Deum ipsorum, id est, ad Christum: & ipse
præcedet ante illum,* Deum Israel Chri-
stum, *in spiritu & virtute Helie.* Atqui
communis est regula Transylvanis,
Seruetianis, Gentilistis, & Luthero-cal-
uinistis; *Deum Israel, esse Verum Deum;*
sed & addunt, *solum Patrem intelligi vsque
Deus.* Hoc falsum; illud verum est. Pa-
tet hoc loci. Nam quod Angelus hic
Christum quoque *Deum Israel* appelleret,
attestantur interpretes S. Patres, *Irene-
us, l. 3. c. 11. Ambr. Euthymius, Beda. &c. in
Luc. 1.* Ratio. Quia constat Ioannem
præcessisse ante *illum*, prædictum sc.
Deum Israel: at ante Christum præces-
sit: Christus igitur est Deus verus Isra-
el, sicut & Pater, nō minor. Quia quic-
quid est Deus, est vnicè summus: & quic-
quid est non vnicè summum, est quo-
que